rentius

Smieszkowic Laurentii: Lilla, seu Ecloga in qua Daphnis obitum suae Lillae deplorat.

Antv. ex off. Plantiana.

LILLA
SEV
ÆGLOGA,

In qua Daphnis obitum suæ Lillæ deplorat.

Pastores colloquentes, { DAPHNIS & CORYMBUS.

COR. *EXpectatus ades mi Daphni, diuq́ vocatus,*
Quem toties tantùm iam nō fleuimus, oho
Quā mea dulcè tuo requiescūt brachia collo
Iunguntúrq́ manus manibus, fraternaq́ dantur
Oscula, ceu viuo mellis deducta liquore.
Sed quid te mæstum video, dic optime Daphni?
DAPH. *Esto salutatus mihi tu quoque, digne Corymbe*
Cui pecus omne malo procul omni rideat, & cui
Talia non vllo contingant tempore, Daphnin
Quæ, scis, afflixere tuum. C. *Dic quæso quid istud*
An quia te forsan coxerunt tædia, quòd rus
Consuetum linquens alienis vixeris oris?

A　　　30 ff　　　D. Au

D. Au non hoc: quin istud erat Solamen acerbi
Mæroris fugisse locum crudeleq; cælum,
Nec spectare oculis ditionem vbi clausit ocellos
Aeterno somno mea, cara mea, ah mea Lilla;
Lilla mihi casti iunctissima fædere lecti,
Lilla mihi cunctos meritò lugenda per annos.
C. Mi tu Daphni quid iniusto quatis aëra questu?
An nescis omnes nos mortis viuere prædam?
Debemur morti nos & carissima nostra
Pignora, consortes nostræ fidiq; sodales.
Et quos immensis cernis per pascua campis
Formosos tauros, dignos altaribus agnos,
Lactigeras capras, & vt vno cætera verbo
Dicam, morte sua omne pecus morietur ad vnum.
Aspice mirandum prati vernantis honorem
Millia quem florum vario discrimine pingunt;
Terminus his vitæ quouis indicitur anno.
Ipse meus pater hîc vbi agrum vetus Alco tenebat
Quo me ductabat secum comitante Lycisca,
Monstrabat digitis quercum quæ prostitit annis
Non memorabilibus, quā Patris adhuc Pater, & cui
Filius iste fuit narrabant esse perennem;
Attamen hæc etiam cecidit nuperrimè, & intus
Exesa affatim, mortem est experta supremam.
Fontes quin etiam pueri quos hausimus olim,
Queisúe solebamus nostras adaquare capellas

Non

Non sunt iam, vix est locus, emorientibus illis
Erupêre alij, nobisq; gregiq; bibuntur.
Imò quis credat, villæ moriuntur & ipsæ?
En dextram versùs, quò nos via ducit in vrbem
Rus erat, huic olim fuerat Polyarnea nomen;
Nunc nihil est, sentes tantùm & sine fænore terra.
Queisúe locis (hîc ad læuam) Polybæus habebat
(Ille per has terras Polybæus notior astris
Cui Melisæus & Alphæus pulcherrima quondam
Carmina septuplici cantabant ducta ab auena)
In cælum surrecta superbaq; ouilia; quid nunc
Quid videas isthic? inaratum triste nouale.
Sic sunt res nostræ mi Daphni. Quid ergo querelis
Exanimas miserum te quid cælumq; fatigas?
D. Nescis, ah nescis multùm dilecte Corymbe
Quantam virtutem plango; si non piget audi.
Lilla die quouis quamprimùm est excita somno
Ritè Iouem venerata, ab eo bona ritè precata
Farre pio Faunumq; loci geniumq; vocabat
Sacrabatq; Lari myrthum mulctrumq; Vacunæ.
Lilla mihi, paro quando greges exponere campis
Splendida vimineæ mittit ientacula capsæ,
Ordinat & calamos, quibus & cantatur aristas.
Lilla casam seruans humilem paullùmq; peculi
Caseolos molles ducebat olente remistos
Menthâ, & inempto alios teretes cumulabat anetho.

 Lilla

Lilla per vrbanas (nisi cùm venale ferebat
Lac) non visa domos ; nec ruri operata choreis
Si non quando vnà mecum alma Palilia agebat.
Lilla domi conclusa suæ rurale parabat
Gausapeum propriæ ductum de stamine lanæ
Quale nec in Domina (sic densum) venditur vrbe.
Lilla virescentes corylos viuasq; myricas
Sollicitâ pingebat acu per syndonis oram,
Supparijsq; quibus festa splendebat in æde
Indebat cantans diuersicoloria fila.
Lilla reportantes ex campis vbera plena
Dinumerabat oues, fœtasq; ante omnia matres
Agnosq; infantes strato est solata cubili.
Lilla reuertentem saturato cum grege Daphnin
Inflantem graciles calamos & Pana canentem
Obuia complexu labrisq; per oscula mistis
Prima salutabat, sudorem & fronte leuabat.
Hinc fessum cantu fessum me puluere multo
Farre fabâq; bonâ salienteq; fonte refectum
Composuit lecto, socijsq; caloribus auxit.
Lilla mea, ah mea Lilla vbi sunt tua lactea colla ?
Stellantesq; oculi certans auroq; capillus ?
Ille vbi purpureus decor atq; aurora genarum ?
Illa decens vbi gratia, gemmantesq; papillæ ?
Te ah Dryades, te Naiades, Orcades, atq; Napææ
Demirabantur, sibi te sociare studebant.

Cùmq; foret rara præstantia màxima formæ
Major in immensum fuerat præstantia mentis.
Me miserum, miserum me illo quòd tempore certas
Non herbas nôrim, quas me cognoscere nuper
Dum moror Euganeis longinquus collibus hospes
Barbatus docuit viresq; ostendit Hygeus:
Forsitan ah tristem populantem viscera pestem
Ex alto patulas traxissem corpore in auras.
Ah dolor, ah lachrymæ, quid me solabitur vnquam
Cùm non est mea Lilla, meum mea Lilla iuuamen?
Non ô non mea Lilla mihi non ampliùs illo
Lilia de calatho fundes, quem non miser olim
Texueram iunco facili tenuiq; salicto
Sub viridi cantans syluestria numina fago.
Non ô non quoties psallet mea fistula syluis
Obtendes querulis tua candida lintea ventis
Ne vocem rapiat cita turbine garrula quercus.
Non ô non quoties rauco mugire tonitru
Cælum contigerit, cùm fulmina diua pauemus
Fumabit medijs in id apta mapalibus herba
Vt procul à caula fulmen rabidam euomat iram.
Non ô non mea Lilla mei pars prima doloris
Afflictis pandes nostris solatia rebus,
Cùm vel aberrantem palans lupus abstulit agnum,
Vel malus in nostram docilis satis ire ruinam
Vicinus pecori lac sustulit auspice Sagâ.

Ah dolor, ah lachrymæ, lachrymas iã cuncta loquũtur
Et violens dirè grassatur in omnia fatum.
En insederunt campos & publica prata
Bruta lues, depascentes miserè omnia bruchi;
Erucæq; olim pulchris dominantur in hortis,
Mellaq; apum indomitis comeduntur vt optima fucis?
Nilq; satum est, modò quod non absumant malè nati
Voluoces, campe, cosses, & curguliones:
Quin proprios auium nidos curruca nouerca
Incolit, excludens aliena hostiliter oua.
Ah dolor, ah lachrymæ lachrymas iã cuncta loquãtur,
Flebilibusq; modis, vbi quondam fistula dulcis
Concinuit, resonent vmbrosa cacumina syluæ:
Non est, ah non est, quia non est, ah mea Lilla.
C. *Pone modum tantis (satis est) mi Daphni querelis*
Nec superûm decretis indignare Deorum.
En animo pariterq; venusto corpore Nisam
Ante alios nimiùm carus tibi Nardus habebat
(Nardus quo nostri Pastores judice gaudent
Et quem sculpta canunt multis sua nomina fagis)
Hæc quoq; mortalem subijt resoluta ruinam
Pro qua nunc Nardo sociata est candida Phyllis
Phyllis sola decoræ habilis succedere Nisæ.
Sic res mutantur variumq; cientur in orbem:
Omnia tempus agit, secum rapit omnia tempus,
Et nihil est quod non tempus permutet in horas;

Hocq;

Hocq; potest solum, releuamen ferre dolori.
Et tu si memini pridem hoc fatale subisti?
D. *Septima nunc steterant detonsis horrea campis*
Cùm truculenta meam demessuit Ichthya Lillam,
Ichthya quam cernis quam dum quoq; lumine lustro
Longinquis rediens è montibus incola quondam;
Heu recrudescit miserandum in pectore vulnus
Et lubet incusare nouis loca sacra querelis.
Ichthya præcipitem supra malè condita hiatum,
Ichthya luctisonis quoquouersum obsita syluis,
Ichthya nec Zephyro nec vento nota salubri,
Ichthya quòd careas omni pisce Ichthya dicta,
Ichthya mortiferis damnata perenniter Austris,
Ichthya dira strigum horrificis afflata maniplis,
Ichthya nocturnis infesta Lemuribus atris,
Ichthya Thessalicis miscens medicamina verbis,
Ichthya lethifero conuellens carmine fruges,
Ichthya Nesseo postes imbuta veneno,
Ichthya solicitans Erebum manesq; sepulchri,
Ichthya vbi morti pendit ferale tributum
Incola qui nouus est fatali lege domorum:
Tu mihi tu caram rapuisti lurida Lillam
Pullatoq; meam complesti funere vitam.
Ah prædixêre hoc bubones triste gementes
Læuaq; funesti ructârunt carmina corui
Et nox nulla fuit non horrida mœsto vlulatu.

Sic

Sic mea Lilla isto cecidisti victima rure?
Ah dolor, ah gemitus, gemitu nemus omne remugit.
C. *Ecquid agis! Locus iste tibi lamenta ministrat,*
Secede, atq; ansam moneo præcide dolori.
D. *Secedo vt viduus degam ditione reducta*
Turtur inoblitas deflens sine compare tædas:
Hos tantùm liceat tumuli monimenta supremi
Versiculos, memorem super hanc incidere fagum.
Hîc mea Lilla sita est, ô vos adiuro benigni
Pastores manibus tumulo date lilia plenis;
Diciteq; vt Lillæ requiescant molliter ossa
Terraq; sit leuis illi, det pia verba viator.
Hæc scripsi mæstus Daphnis. *Tu iam mea Lilla*
Lilla vale, æternùm mea Lilla vale, Elisijsq;
Delicians campis venturo fac loca Daphni.
C. *Iam satis est, nostro tu nunc succedito ruri,*
Aegrotam pergens placidè componere mentem;
Vt quod non poßis vllam reuocare per artem
Hoc nil reclamans toleres patienter Amice.

FINIS.

Eclogam hanc composuit Romæ M. Laurentius Smieszkowic cum amisisset suam uxorem cui mense tantum unico cohabitaverat vitâ fungitur [illegible] Cracoviae, dedicavitque eam [illegible] Urbano 8 Pontifici, et ob eam ab ipso mirifice fuit probatus laudatusque.